

certo sciret non obfirmato animo, neque diffidiorum avido
in sententia Senatum permanere, verum pro legibus, pro li-
bertate, quod est pro laribus ac focus, niti. 1605

Tum Leonardus Donatus, qui palam omnium Patrum ore
legatus designabatur, suggestum conscendens, gravi ac pro-
lixo oratione præsentem reipublicæ christianæ statum deplo-
rat, ut, quo tempore potentissimus hostis Pannoniam armis
laceffit, Canisium ademit, Strigoniam occupavit; quo Ste-
phanus Boscajus sociatis armis Stiriam ac vicina Italiæ loca,
Scytharum barbarorumque colluvione immissa, depopulatur,
eodem inexpectatus Italiæ turbo adeo ingens immineat. Il-
lud mortalium fortasse, inquit, errata, ut ab irato numine
plectantur, commeruere. Tantorum vos ne igitur malorum
origo, qui Rempublicam per manus vobis traditam sanctissi-
mis institutis legibusque munitam accepistis; qui majorum
virtutes gloriamque æmulamini; qui pro dignitate, pro liber-
tate gravissima bella suscepistis; pro religione, pro Aposto-
lica Sede sæpius sanguinem fudistis; vexatos, impetitos,
in omne miseriarum genus prolapsos Romanos Pontifices sub-
levastis, ac propriis veluti humeris ejectos in propriam se-
dem restitulistis? Et nunc, probo dolor! eo ventum est, ut
in decreta sapientissimi huiusce Senatus impetus fiat. Abro-
gari leges, everti judicia, fundamenta libertatis quasi cun-
cta misceri, id demum summum jus habeatur: quæ si per-
mittitis, jam vobis de imperio actum est; jam diadema
illud, quo caput Reipublicæ refulget, dejiciendum. Sed
quid hæc commemorem, quasi vero de magnanimitate ac
constantia vestra ambigam, qui toties, spretis periculis,
proculcatis adversis, invictum animum præstitistis? Via hac
regia hoc quoque tempore incedendum; hoc uno frangi ad-
versus conatus posse exploratum est. Etenim si in decretis
vestris invictum robur, in animis vividam virtutem ines-
se deprehenderint: quis ambigat, ea fastus plena consilia
abjecturos? At si parum firmos nutantesque cognoverint,
acrius insurrecturos, nec unquam, nisi quæ velint conse-
quantur, quieturos? Neque vero, ait, is ego sum, qui le-
gationem probem, cum Pontificis adeo obfirmatum animum
esse animadvertam, ut potius spiritus inde majores sum-

Leonardi
Donati
oratio.